MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80597-7

AUTHOR:

HOUBEN, JOSEPH

TITLE:

EURIPIDIS IPHIGENIA IN AULIDE...

PLACE:

TRIER

DATE:

1850

Master Negative #
92-80597-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

 Houben, Joseph
Euripidis Iphigenia in Aulide tragoedia cum Racinii comparata. Trier, Fr. Lintz, 1850.
10 p.

At head of title: Programm ... des Gymnasiums zu Trier ...

 Another copy. 1850.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5-27-92 INITIALS SA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

5105 Euripides Houben

no. 12

Euripides Houben

Programm

womit zu der

öffentlichen Prüfung und dem Rede-Act

der Schüler

des Gymnasiums zu Trier

und zu der

Schlussfeierlichkeit

den 28. und 29. August 1850

ergebenst einladet

Dr. V. Loers,
Director und Professor.

Inhalt: 1) Euripidis Iphigenia in Aulide tragoedia cum Racinii comparata. Von Hrn. Gymnasiallehrer Houben.
2) Schulnachrichten. Vom Director.

TRIER, 1850.
BUCHDRUCKEREI VON FR. LINTZ.

Euripidis Iphigenia in Aulide tragoedia cum Racinii comparata.

Quum usu quodammodo receptum esset, ut viri docti, Aristophanem ducem secuti, opinarentur, non posse Aeschylum et Sophoclem satis digne a se laudari, nisi quoquo modo Euripidem vituperarent, recentiore aetate defensores laudatoresque elegantes exstiterunt, qui ab aequalibus hunc poetam iure maximo in honore habitum fuisse comprobarunt. Inter eius vero tragoedias nulla exstat, quae ingenia interpretum tantopere exercuerit et de qua sententiae magis contrariae prolatae sint, quam Iphigenia in Aulide. Alii enim eam tam rudem, tam male compositam habuerunt, ut tamquam indignam Euripide ei abiudicandam censerent, alii tantis laudibus extulerunt, ut eam perfectiorem esse contenderent, quam cuius hic poeta auctor esse posset. Inter eos, qui magnam de huius tragoediae virtutibus opinionem habuerunt, et Racinius, poeta tragicorum Francogallorum omnium consensu praeclarissimus, fuisse videtur, qui eius praestantia commotum se eam imitandam sibi sumsisse ipse affirmet. Harum tragoediarum oeconomiam, ut aiunt, inter se comparavi; quaestionem tamen de duplici Graecae fabulae recensione et de multis interpolationibus lacunisque, rem a proposito meo alienam, non attigi, quum id tantum susceperim, ut indagarem, utra tragoediarum praestantior videretur habenda.

Primum elaboravi, ut Graecae tragoediae lectores haberent certam explicatamque imaginem; deinde, quae ab imitatore addita et mutata sunt, examinavi.

Agamemno, maxima filiae sollicitudine cruciatus, media nocte e praetorio progressus servum senem ad se vocatum rogat, quae sit stella super Euripo. Quod ut cognosceret, eum praetorium reliquisse statuere non possumus, sed poeta eum rem, haud dubie ipsi notam, rogantem facit, ut, quum nesciat, quod colloquii initium capiat, quantopere perturbatus sit, appareat. A sene, qui responso dato se stellarum rationis non admodum peritum esse ostendit, ut intret, invitatus, animi eius tranquillitate perspecta, hominum obscurorum vitam minime periculosam beatam praedicat, principes et deorum irae et hominum iniuriis contumeliisque obnoxios miseratur. Servus autem, ob istas eius impias querelas, ut non contenti sorte a diis data, qui hominibus et gaudia et dolores tribuant, severis vocibus in eum invectus,

moestitia eius cognita, ne se, cuius fides spectata sit, causas tristitiae celet, enixe rogat. Agamemno altius repetens Helenae matrimonium, raptum, Graecorum ad bellum Troianum evocationem a Menelao fratre factam exponit. Quae res, quamvis et notissimae sint, neque responsum in illis contineatur ad servi quaestionem, silentio non praetermittuntur; et profecto hoc loco alienae non sunt, quum intelligatur, Agamemnonem patria postulante et fratre urgente, ut uxorem recuperet, non culpa quadam ad filiae immolandae necessitatem redactum esse. Poeta saepius nobis ante oculos ponit, Helenae libidine et insano Menelai in uxorem amore tanta mala Agamemnoni, uxori filiaeque eius parata esse quum in hac tragoedia v. 469, 888, 1245, tum in aliis, ut in Oreste v. 626 sqq. ed. Hart. Quibus rebus praemissis Agamemno iam moeroris causam, quam scire servi interest, Calchantis vatis oraculum, narrat. Quo audito, ait, quum illico obstupefactus per Talthybium praeconem iussisset exercitum domum decedere, Menelai fratris precibus admonitionibusque commotum litteras Argos se misisse, ut Clytaemnestra uxor Iphigeniam filiam ad exercitum in Aulidis ripa commorantem mitteret, et, quo facilius eam perduceret, ut libenter obtemperaret, se per fraudem addidisse, Achillem eam in matrimonium ducturum esse, antequam naves solverent; sed iam se facti poenitere seque eum elegisse, qui litteras, nocturno tempore conscriptas, Clytaemnestrae traderet, quam se rogasse, ne veniret, quum Achilles consilium mutavisset. Servus, qui Clytaemnestrae et Iphigeniae deditissimus, de earum sorte anxius, mente perturbatus versus 105—107 (quae est Firnhaberi de hoc loco sententia) non recte accepisse videtur, iram Achillis, uxore orbati, extimescendam esse, cognito autem ex iis, quae Agamemno respondet, Achillem totam rem ignorare, periculosi conatus dominum admonet. Regis precibus flagitationibusque adductus, die iam illucescente, castra ad mandata perficienda relinquit.

Iam chorus, qui e mulieribus Chalcidicis constat, in scenam prodit, et causa adventus prolata, magnum navium numerum et virtutes heroum, qui ventum secundum in Aulidis ripa exspectant, concelebrat, ut spectatores expeditionis magnitudinem cognoscant, eorumque animi sollicitudine de Iphigenia compleantur, quum tot tantosque viros convenisse et ardore Helenae Paridi eripiendae flagrare videant. Metu enim perterriti sunt, ne, etiamsi forte nuncius ab Agamemnone missus Iphigeniae adventum impediturus sit, Graecorum exercitus, gloriae amore ardens, Calchantis oraculo cognito, Agamemnonis filiaeque misericordia adductus victimam, quae iter in fines Troianos patefaciat, sibi eripi sit passurus.

Chori cantu finito Menelaus, qui ad excipiendam Iphigeniam castra reliquit, cum servo, quem Agamemno Mycenas misit, rixatur. Qui quum fratris inconstantiam noverit, litteras, quas in manibus servi videt, dolum quendam novum Agamemnonis ad servandam filiam suspicatus, illi eripere studet. Clamore autem a servo ante praetorium sublato, Agamemno arcessitus a Menelao inconstantiae, superbiae, ambitionis accusatus se minime filiam dilectissimam, ut frater uxorem incestam recuperet, sacrificaturum esse dicit. Querente Menelao, se ab amicis desertum proditumque esse, sed aliorum virorum auxilio (Calchantem in animo habet) ad finem se esse perventurum minitante, necopinato servus adest, qui Clytaemnestrae, Iphigeniae, Orestis adventum nunciat, et quidem ita, ut Agamemnonis animus quam maxime percellatur, qui nuncio dimisso scenam plangore et lamentatione complet; in animum vocat illud temporis momentum, quo cum uxore, turpissime decepta, conventurus sit; eam ipsam adesse

queritur, quum eius praesentia munus filiae sacrificandae aggravetur; animo filiam dilectissimam amplectitur et precibus et opprobriis patrem a proposito crudelissimo avocaturam, neque Orestis, infantis teneri, lacrimae silentio praetermittuntur, et ad tantas calamitates perferendas se Helenae raptu adactum esse queritur. Menelaus, lamentationibus fratris amarissimis auditis, misericordia commotus, quod recuperandae uxoris causa intellexit se iniuste facere, ut fratrem cogat ad sacrificandam teneram innocentemque filiam, ei in reconciliationem dexteram offert, modumque ostendit, quo filia servari possit. Agamemno autem inopinato Iphigeniae adventu, quem impediendi firmissimam spem modo habebat, perturbatus de filiae salute desperat, consilioque capto voluntati Deorum cedere a Menelao et choro petit, ut rem omnem Clytaemnestram celent, ne eius lacrimis lamentationibusque dolor augeatur.

Iam videas, quantum artificem poeta se praestiterit, quum post chori cantum spectatoribus de Iphigeniae sorte maxima cura commotis, Clytaemnestram cum Iphigenia, ignara sortis futurae, advenientem faciat; matrem admodum hilarem, chori salutatione gaudio affectam, de dotibus filiae sollicitam, ne laedantur e plaustro sumendo; Orestem e somno ad gaudia excitantem. Animi nostri quam maxime moventur Agamemnone, quem dolore victum fractumque novimus, in scenam prodeunte, cuius cum filia colloquium ad repraesentandum animi patrii angorem maximi momenti est. Pater filiam, victimam innocentem, tot tantisque virtutibus ornatam ante oculos habet; nescit, quae ad quaestiones ab ea propositas respondeat; sermone eius summum amorem spirante magis magisque confunditur, consternitur. Tantopere autem concutitur, ut, quum animi non potens finem tristissimi colloquii facere cupiat, filiam in praetorium abire iubeat. Quod quum dicto patris obediens fecit, ipse se ad uxorem convertit eam rogans, ne aegre ferat, quod filiam amissurus tantopere afflictus sit. Quae, dolore approbato, genus Achillis, generi futuri, eodem modo anquirit, ut saepius apud Euripidem est. Cf. Ion 275 sqq. ed. Hartung. — Iam Agamemno sensim ad id, quod in animo habet, pervenit. Ut enim uxorem ab ara amoveat, eam Argos reverti iubet, quod tamen propositum a more abhorrens reiicit, quantumvis Agamemno instet, et se hoc facturam esse negans scenam relinquit. Agamemno denuo lamentis se dat de conditione sua tristissima, quod atrox filiae sacrificandae onus uxoris praesentia aggravetur.

Chori de Troiae excidio cantico finito adest Achilles querens moram profectionis; narratque quum omnes Graecos tum maxime Myrmidones pugnandi studio flagrare. Omnia autem, quae profert, ita sunt comparata, ut necessitas Iphigeniae sacrificii comprobetur. Quem quum loquentem audisset Clytaemnestra intellexissetque esse Achillem, (se ipsum enim nominat v. 809 ed. Herm.) occasionem generi futuri cognoscendi avidissime amplectens in scenam prodit. At quanto pudore et quanta perturbatione afficitur, quum audiat ex Achille, eum nunquam in animo habuisse Iphigeniam uxorem ducere. La Harpe, Cours de Littérature IV. p. 136 hoc colloquium totamque scenam, comicam eam nuncupans, valde vituperat. At non licet haec omnia nostris moribus iudicare, et si animum attenderimus ad ea, quea de mulierum vivendi ratione apud scriptores Graecos sunt, persuasum habebimus, optime poetam nostrum munere functum esse. Cf. Bekker. Charicl. II. 400 sqq.

Quum Clytaemnestra domum ingressura est, servus senex, Menelao iratus, cf. v. 887, 901, Iphigeniam servare cupiens, horrendum Agamemnonis consilium filiae immolandae detegit.

Mater, quae modo beatissima erat, sperans filiam dilectissimam a viro praeclarissimo in matrimonium ductum iri, quae nihil nisi matrimonium cogitabat, e somnio felicitatis, ut ita dicam, expergefacta, mortem huic ipsi filiae instare videt et quidem instare a patre! Quae rerum mutatio! Mater modo felicissima iam miserrima. Decoris oblita, ubi videt, Achillem iratum esse, quod Agamemno nomine suo abusus sit, ad eius pedes prostrata omni modo eum, ut Iphigeniam servet, studet commovere. Commemorat, se filiam ei uxorem adduxisse, fore igitur, ut vituperetur, si eam deserat; Achillem, quum ipsa sola sit ac deserta in exercitu sacrificium filiae postulante, unum esse, a quo salutem sperare possint. Regina ad Achillis pedes prostrata iacet, eius auxilium implorans, femina debilis luctans cum fati immutabili voluntate! Scena, laude digna, qua omnium spectatorum commovetur misericordia. Achilles quidem Clytaemnestrae calamitate se commotum esse affirmat; at quum Agamemnoni, potenti Graecorum duci resistendum sit, sapientis viri esse caute procedere. Rem igitur accuratius perpendit. Quum secum reputavit, Menelao auctore, quem contemnit, Agamemnonem ad sacrificium a Diis postulatum parandum nomine suo abusum esse, truci oratione in Menelaum, Calchantem, Agamemnonem ipsum invectus, se nunquam, ut Iphigenia sacrificetur, iurat esse passurum; addit tamen, si sine dolo secum Agamemno egisset, libenter Iphigeniam in matrimonium ducturum neque dubitaturum fuisse, eam pro patriae salute sacrificare. Quum Achilles tantum ob iniuriam acceptam servare filiam paratus itaque timori locus sit, ne ab Agamemnone placatus a proposito recedat, Clytaemnestra, quamvis laeta auxilio promisso, magis misericordiam eius studet commovere (v. 992); qua de causa Iphigeniam ipsam, ut se ad eius pedes prosternat, arcessere vult; quod tamen ab heroe recusatur. Clytaemnestram autem cohortatur, ut precando persuadendoque patrem a consilio avocet; quod, quamvis plane non dubitet, quin frustra factura sit, promittit se esse tentaturam.

Post chori cantum Clytaemnestra, praetorio relicto, exspectat reditum Agamemnonis, qui eo consilio se ad Calchantem contulerat v. 753, ut, quae facienda essent, investigaret; qui in scenam progressus, nihil suspicans consilium filiae immolandae notum esse, ab uxore petit, ut, quum omnia ad sacrificium (τὰ προτέλεια), cuius iam mentio facta erat in colloquio, quod Iphigenia habuit cum patre, postquam in castra advenit, parata sint, filiam ad aram mittat. Iphigenia, matris iussu, lacrimas fundens Orestemque fratrem in brachiis gerens e praetorio prodit; Agamemnonem perturbatum, quod filiam flentem videt, Clytaemnestra, quae non iam se cohibere potest, iratorum hominum more altius repetens, acerrimis opprobriis obruit. Iam Iphigenia se ad eius pedes prosternit et precibus suavissimis, ut patris misericordiam commoveat, dat operam; in qua scena laudanda omnes viri docti consentiunt, adeo Greverus, alias huius tragoediae acerrimus vituperator, apud quem haec leguntur: Kann man süßere, zärtlichere Laute, kann man ein rührenderes Flehen hören! ..... Ist das nicht mehr als orpheische Stimme, ist es nicht der Ton einer zarten, schönen Jungfrau, die in allem Schmerze .... dennoch liebevoll zu ihrem grausamen Vater aufschaut! Agamemno calamitate abiectus et profligatus est. Ante pedes enim prostrata iacet filia dilectissima, in brachiis habens Orestem; et uxor magis minitabunda quam orans et chorus patris misericordiam implorans eius animum perturbant. At is, quem initio fluctuantem vidimus, cognito Deos pro salute patriae sacrificium postulare, Calchantis consiliis exhortationibusque confirmatus post

multas acerbissimasque luctationes ea iam fruitur animi tranquillitate, ut, quae evitari non possint, forti ferat animo; itaque nec minis uxoris furibundae nec precibus filiae labefactatur. Paucis verbis necessitate sacrificii probata abit.

Clytaemnestra et Iphigenia gemitus edunt. Achilles, quem magnus militum numerus sequitur, narrat Calchantem exercitui, qui maximo clamore mortem Iphigeniae postularet, Deorum voluntatem patefecisse, ipsumque, quum de ea servanda ad milites verba fecisset, in maximo periculo fuisse, ne lapidibus coniectis trucidaretur; Myrmidones ipsos seditiosos esse. Quae quamquam ita sint, tamen consilium suum eam servandi firmum esse. Itaque matrem filiam amplecti iubet, se ipsum aggredientibus ad vim arcendam se esse obiecturum. Sed Iphigenia, quippe quae audiat, omnia a patre v. 1259 sqq. praedicta evenisse, aperit consilium pro patria mortem subeundi. Iam Aristot. Ars poet. c. 15 improbat, Iphigeniam, quae modo vitam a patre flagitaverit, parum sibi constantem constituere mortem voluntariam subire. Ad defendendum tamen poetam haec mihi videntur afferri posse. Virgo, viro illustrissimo nuptura, dulcedine vitae futurae capta, ex matre furibunda et ira occaecata consilium patris horrendum audierat; et haec sine dubio, amore filiae ducta, id quod ex conviciis ab ea marito factis coniici licet, nihil praetermiserat, quin in patrem crudelem, in cuius potestate positum esset, eam servari, si vellet, concitaret invidiam. Quid igitur miri, si filia initio patris animum flectere studet precibus, at postquam pro certo cognovit, re vera Deorum esse voluntatem, ut moriatur, honeste occumbere in animum inducit? Quo amantior vitae a poeta fingitur, eo magis se devovendo pro Graeciae salute admirationem nostram excitat. Voluntate autem Deorum perspecta, gloriose laeto animo mori vult v. 1380 sqq., neque ullis illecebris neque precibus lacrimisque matris a proposito recedit. Quin etiam post Achillis discessum colloquio, quod cum matre habet, alias virtutes in ea cognoscimus, qua re admiratio nostra augetur. Matrem enim obsecrat, ne ipsa neve sorores vestes lugubres induant, neve patri succenseat; ipsa, omnibus rebus, quae ad sacrificium necessariae sunt, indicatis, laeta in Deae saltum abit, mater autem dolore oppressa in praetorium se confert.

Nuncius refert, quo modo Agamemno et Achilles se ad altaria gesserint; Iphigeniam a Dea servatam, cervam a vate in eius locum substitutam in ara inventam esse et omnia, more nunciorum Euripideorum (cf. Ion 1107 sqq.) tam fuse narrat, ut auditores omnia, quae scire cupiunt, cognoscant. Denique Agamemno ipse in scenam progressus paucis verbis filiam beatam praedicat. Itaque animi omnium spectatorum tranquillati sunt, quum is, quem nisi acerbissime luctantem aut calamitate doloreque afflictum non viderunt, sereno vultu redeat in eorum conspectum.

Iam ad Racinii tragoediam progrediamur.

Dum malacia, ira Dianae Deae orta, Graeci impediuntur, quominus naves solvant, Agamemnoni oraculum consulenti a Calchante vate responsum datur, ventum secundum a Diis impetrari non posse nisi ad eorum iram mitigandam Iphigenia sacrificetur. Achille absente, qui a patre ad impetum hostium arcendum in Thessaliam revocatus erat, Agamemno et Ulixis admonitionibus consiliisque commotus (Ulysse, en apparence, approuvant mes discours etc. I. 1), et summae imperii obtinendae cupiditate flagrans (Moi-même, je l'avoue, avec quelque pudeur etc.), et nocturnis somniis territus (Pour comble de malheur, les dieux

toutes les nuits etc.) epistolam suasoriam ad Clytaemnestram scribit, ut Iphigeniam mittat ad exercitum, speratque sacrificium confectum iri, antequam Achilles ad exercitum redeat, qui tamen perdomitis populis vicinis opinione omnium celerius redit. Agamemno quum huius ingentis bellatoris timore, tum maxime filiae amore adductus ratusque deos re vera sacrificium filiae postulare non posse, multo ante solis ortum Arcadi servo expergefacto, (quem IV. 10 ducem militum domesticorem nominari miror) dat litteras, quas Clytaemnestrae tradat; in quibus litteris uxorem orat, ne, quum Achilles matrimonium in aliud tempus distulerit, in castra veniat cum Iphigenia. Servum autem addere iubet, Eriphilen, expeditione Lesbia ab Achille captam causam esse eius animi mutati; quam causam tragoedia vix dignam, ab heroica aetate alienissimam esse ab omnibus interpretibus iure est animadversum. Sed ad talia artificia, ut ita dicam, poeta, ut auditorum animos in Eriphilen converteret, confugere erat coactus. Quam expeditionem in Lesbum insulam, cuius hoc loco mentio fit, iam antequam ad exercitum venit, ab Achille esse factam, Euphorionem Chalcidensem, poetam dubiae in his rebus auctoritatis secutus, Racinius statuit; qua in re poeta ad id, quod minime verisimile est, Achillem ex Thessalia Lesbum insulam, a patria remotissimam, expeditione adortum esse animum attendisse non videtur, ab Homero autem differt, apud quem Achilles, quum ad exercitum Graecorum venit, tenerae est aetatis, id quod cognoscitur ex Iliad. IX. 438 sqq.

— σοὶ δέ μ᾽ ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεὺς
ἤματι τῷ, ὅτε σ᾽ ἐκ Φθίης Ἀγαμέμνονι πέμπεν
νήπιον, οὔπω εἰδόθ᾽ ὁμοιΐου πολέμοιο. —

Multo quidem probabilius est, eum hanc insulam, dum Troia obsessione tenetur, expugnasse cf. Il. IX. 271, sed poeta hac in re Homerum ducem sequi non potuit, quum quoquo modo rationes viasque quaerere coactus esset, ut in fabulam, cuius res ante expeditionem in Troiam urbem factam geruntur, intexeret Eriphilen, sine qua ipse in praefatione concedit, se nunquam ausurum fuisse hanc fabulam docere. Qua de re audiamus ipsum poetam: J'ai rapporté tous ces avis si différens et surtout le passage de Pausanias, parceque c'est à cet auteur que je dois l'heureux personnage d'Eriphile, sans lequel je n'aurais jamais osé entreprendre cette tragédie. Quelle apparence que j'eusse souillé la scène par le meurtre horrible d'une personne aussi vertueuse et aussi aimable qu'il fallait représenter Iphigénie? Et quelle apparence encore de dénouer ma tragédie par le secours d'une déesse et d'une machine et par une métamorphose qui pouvait bien trouver quelque créance du temps d'Euripide mais qui serait trop absurde et trop incroyable parmi nous? Negari quidem non potest, Racinium rem ita instituere non potuisse, ut Iphigenia, Agamemnonis filia, omnibus virtutibus ornata periret, neque ut miraculo quodam aut ab Deo ex machina servaretur, attamen valde dubito, num Eriphile inducta huic tragoediae sit ornamento. In scenam enim prodit II. 1, sed tum eam adesse aegre ferimus, quum, Iphigeniae adventu in castra ab Arcade nunciato, eam ipsam anxii exspectemus, neque, dum de Agamemnonis filiae morte agitur, loquacitate intempestiva de suo in Achillem amore animos nostros tenere potest. Quanto autem ad dramatis leges aptius Euripides Clytaemnestram Iphigeniamque in scenam prodeuntes facit? Neque adducor, ut assentiar interpreti Geoffroy, qui p. 199 statuit, Racinium propter theatri angustias hanc scenam rescindere coactum fuisse. Nonne etiam in theatra nostra equi et

currus introducuntur? Quidni poeta plaustrum, in quo advenerunt, ante portam lateralem, ut ita dicam, collocatum esse finxit et ita rem instituit, ut reliqua coram spectatoribus agantur? Hanc scenam tantopere mutatam esse doleo. Per secundum actum, quem vocant, Eriphile scenam non relinquit; minime opportuna testis est colloquii inter Agamemnonem Iphigeniamque II. 2. Videt, quanto pudore doloreque Clytaemnestra Iphigeniaque afficiantur traditis ab Arcade litteris, quibus Agamemno frustra speraverat, se earum adventum in castra impediturum esse; nihil movetur nuncio Arcadis, Iphigeniae mortem ab ipso patre parari III. 5, sed, quamvis omnia in Iphigeniae perniciem vertantur, quae benevolentissime exceptam loco intimae amicae, non servae, habet, quin etiam eius libertatem ab Achille flagitat III. 4, in proposito susceptoque consilio eam perdendi permanet IV. 1 et Agamemnonis conatum filiae servandae impedit IV. 11. Neque tum, quum furore acta, Calchantis oraculo audito, gladium sibi in pectus infigit, placamur et vix cum ea reconciliamur. Percussi quidem sumus, quum eam, quae ingratissima amicam perdere in animo habebat, poenam scelere perfecto dignam luere videamus, attamen non illa misericordia movemur, qua capimur, si homines alioqui boni erroribus peccatisque occumbunt, quam misericordiam solam tragicam dixerim. In Eriphile autem nullae virtutes conspiciuntur, dolemus tantum virginem nobili genere ortam a teneris unguiculis, ut Graeci dicunt, parentum adspectu carentem ab Achille Lesbo insula expugnata esse captam. Neque id silentio praetermiserim, quod Iphigeniae et Eriphiles amoris in Achillem stimulis actarum altercatione II. 7 non admodum delectamur. Sed quum Racinius amoris impetus vehementiamque vividis coloribus pinxerit, poetae hanc Eriphilen condonemus, praesertim quod ipse fatetur hac sola ratione sibi facultatem datam fuisse huius fabulae docendae et quidem eo libentius, quod ipsi Iphigeniam, virginem multis et praeclaris virtutibus ornatam, debemus. Qua in describenda Racinius a poeta Graeco multis in rebus recessit. Ut enim aequalibus satisfaceret, eam Achillis amantem finxit. Postquam in castra a patre arcessita advenit, sollicita est, quod Achilles non statim in conspectum prodeat, et eo magis, quod ratione, qua pater adversus eam se gerit, metus ei iniicitur. Tanto autem in Achillem amore flagrat, ut, nuncio animum Achillis a se alienatum esse accepto, mente concidat, mortem sibi a patre parari ex Arcade servo aequo animo audiat. III. 6.

Vous voyez de quel oeil et comme indifférente
J'ai reçu de ma mort la nouvelle sanglante:
Je n'en ai point pâli. Que n'avez-vous pu voir
A quel excès tantôt allait mon désespoir,
Quand presqu'en arrivant, un récit peu fidèle
M'a de votre inconstance annoncé la nouvelle!
Quel trouble! etc. —

Quid dicam de eius insigni in patrem pietate, quam, quum post adventum in castra cum patre convenit, amabiliter ostendit? Quum ab Arcade, qui Agamemnonis litteris Clytaemnestrae traditis periculum ab Iphigenia amovere frustra conatus erat, Clytaemnestrae periculum mortis filiae instans detegitur, quamquam nescit, quibus causis commotus pater tam atrox facinus committere animo conceperit, tamen, quum persuasum habeat eum nisi gravissimis

rationibus ad hoc propositum cogi non potuisse, totam se arbitrio patris permittit, quin etiam crudelem patrem ab Achillis iniuriis defendit III. 6, furibundumque amatorem, qui se a patre poenas repetiturum esse minatur, precibus retinet III 7. Quum vitam a patre flagitet, non sua, sed matris sponsique causa, tamen si firma eius, ut ipsa moriatur, sit voluntas, se mori paratam esse ostendit. Ubi autem, fuga auctore patre IV. 10 nequidquam tentata, certum exploratumque habet, mortem nullo modo posse evitari, honeste pro patria mori in animum inducit. Hoc autem eius propositum, quod mores Francogallorum sapit, eo firmatur, quod inimicitiis inter patrem Achillemque ortis spem omnem deponit, fore ut unquam Achillis uxor fiat. V. 1

Mon père, en me sauvant, ordonne que j'expire
— — — —
Mais le roi qui le hait, veut que je le haïsse.

Neque consilium mutat, matre Achilleque adhortantibus, sed amantem exhortata, ut memor gloriae futurae a vano ipsam servandi conatu desisteret, matremque precata, ne patri misero succenseret, laeta ad altaria se confert. Cui virgini amabilissimae piissimaeque necem parari dolemus, maxima autem voluptate afficimur, quod Calchantis intercessione servatur. Iphigenia semper sibi constans est, neque, ut est apud Euripidem, tum demum, quum post multas luctationes omnes conatus perniciei effugiendae vanos esse certum exploratumque habet, consilium capit honeste pro patriae gloria occumbere.

Quod Agamemnonem patrem huius egregiae filiae poeta fecit amantissimum, omnibus spectatoribus magnae est voluptati. Itaque gravissimis rationibus, ut ita dicam, expugnatum, ut eam Graecis postulantibus concedat sacrificandam, mox iterum fluctuantem, ne a proposito recedat, Ulixes cohortatur. I. 2. Filiae quidem non ipsius, sed matris sponsique causa vitam deprecanti, matri furibundae, opprobriis ob atrox filiae immolandae propositum se obruenti, non cedit, quamvis perculsus profligatusque, quum persuasum habeat, Deorum esse voluntatem, ut Iphigenia sacrificetur, at quum Eurybati daturus est mandatum, ut filiam per vim ad altaria ducat, incepta perficere non potest, et denuo eam servare conatur. Quae tam repentina animi mutatio viri, qui neque precibus Iphigeniae neque conviciis uxoris, ut a proposito recederet, motus erat, qui tandem probari potest? Poeta quidem iustas causas non attulit, nam iis, quas Agamemno IV. 8 secum de rerum conditione meditans sibi ante oculos ponit, amore in filiam et minis uxoris, iam antea IV. 4, ut consilium mutaret, non erat adductus. Ad has igitur causas poetae eo minus redire licuit, quod Agamemnonem conviciis ab Achille factis maximo furore incitatum et hanc ob causam in proposito filiae sacrificandae confirmatum finxit IV. 7

Et voilà ce qui rend sa perte inévitable.

Neque patrii amoris est, quod filiae omnem spem eripit, fore ut unquam Achillis uxor fiat. Cf. loc. iam supra laudatum V. 1. —

Racinius in moribus Clytaemnestrae deformandis nulla in re ab Euripide recessit. Hoc tamen loco commemorare iuvat, eam apud Euripidem, qui molem doloris matris filia orbatae satis vividis coloribus adumbrare desperabat, tum, quum Iphigenia in Deae saltum se confert, ut miserrima spectatorum oculis se subtrahat, in praetorium abire, apud Racinium autem

scenam non relinquit, sed doloris acerbitate excitata vanos conatus Iphigeniam sequendi ad eam servandam facit, dolorque eius minus apte Aeginae nuncio V. 4, Eriphilen auctorem mortis Iphigeniae esse, in furorem, ut ita dicam, acuitur. Neque probo illam ab Arcade, quem Achilles V. 5 mittit, ut eam de rerum conditione certiorem faciat, incitari, ut ad aram festinet ad iuvandos Iphigeniae servandae conatus; omni enim probabilitate caret, Achillem, a cuius moribus omnino tale quid abhorret, eo temporis momento nuncium mittere. Omnia autem melius procederent, si Clytaemnestra post discessum Iphigeniae scenam relinqueret et ab Ulixe e praetorio evocaretur. Poeta rem ita instituere potuit, ut in Ulixis narratione perfidiae Eriphiles commemoratio inesset.

In Menelai locum Ulixem substituit; cuius mutationis veras causas iam Geoffroy attulit. Il n'était pas possible au poète d'introduire Ménélas, quoique bien plus intéressé à l'action. Le mari d'Hélène ne pouvait être que ridicule dans nos moeurs: les Grecs n'attachaient aucune idée comique à l'infidélité d'une femme; mais, aux yeux des Français, un époux maltraité est un personnage ridicule. Un autre inconvénient pour nous c'est qu'un homme qui, pour recouvrer sa femme, veut forcer son frère à faire périr sa fille, est odieux et méprisable. Cf. La Harpe Cours de Littérature IV. p. 162.

Achillem Racinius artiore in Iphigeniam amore cum genere Atridarum coniunxit quam Euripides. Sed commiscendis moribus suae et heroicae aetatis coloribus eius imaginem adumbravit, ut Achilles neque Graecus neque Francogallus sit. Multis enim in scenis blandus et assiduus est amator. Nam victis hostibus patriae vicinis rumoribus de Iphigeniae adventu, qui totis castris serpebant, commotus, ut certior de hac re fiat, Agamemnonem adit, neque, quamvis ab eo data sit occasio, rerum praeclare gestarum facit mentionem, sed urbanitate quadam usus I. 2

Seigneur, honorez moins une faible conquête:

sermonem in Iphigeniam transfert. Ingenium autem eius atrox vehemensque elucet, quum Ulixes eum temporis a nuptiis faciendis alieni commonefacit et Agamemno diis adversantibus ab expeditione Troiana desistendum esse declarat. Nam Ulixem graviter increpat matrimoniumque Iphigeniae renunciat. I. 2

Je ne vous presse plus d'approuver les transports.

Mox autem denuo indefessus, ut ita dicam, est in reconcilianda Agamemnonis Clytaemnestraeque gratia III. 2, Troiamque se non profecturum esse iurat nisi antea Iphigenia in matrimonium ducta IV. 6; benignus est amator, quum Iphigeniae dilectae libertatem Eriphiles concedit; comis et urbanus Francogallus est, quum Clytaemnestram ante pedes prostratam manu sublevat III. 5

Ah Madame!

Qua comitate utitur, quum periculo, quod Iphigeniae instat, patefacto, Clytaemnestram, ut in praetorium intret, cohortatur, quo modo eam acerbissimo dolori se subtracturum esse sperat III. 7

Madame, à vous servir je vais tout disposer:
Dans votre appartement allez vous reposer
Votre fille vivra, je puis vous le prédire.

Redolet contra atrocitatem vehementiamque ingenii, qualis ab Homero veris coloribus adumbrata est, quum, quod tamen hoc loco non facile quisquam probet, multus est in conviciis proferendis contra patrem, filia praesente III. 6, obiurgationibusque et opprobriis Agamemnonem a proposito filiae immolandae avellere conatur IV. 6. Neque id silentio praetermiserim, quod poetam effugisse videtur, Achillem minime apte matrimonium urgere, quamvis certum exploratumque habeat, se brevi tempore ante Troiae moenia periturum esse I. 2

Les Parques à ma mère, il est vrai, l'ont prédit, etc.

Achillem animum ad uxorem appulisse, num libentius feramus, quam si quis corporis infirmitatibus fractus uxorem deposcat, quam se mox viduam relicturum esse pro certo cognoverit?

Quae quum ita sint, valde miror, La Harpe Racinium tantis laudibus efferre, quod Homericum heroem nobis repraesentaverit, neque possum non assentiri opinioni Geoff.: En général, il y a une si prodigieuse disproportion entre ce que la mythologie et la poësie nous apprennent d'Achille et ce qui en est dit dans cette tragédie, qu'on doit regarder ce personnage comme étant entièrement de l'invention de Racine. On ne peut se défendre d'un sentiment pénible, quand on entend un littérateur tel que M. de La Harpe parler à tort et à travers des anciens qu'il ne connaît pas et dire avec assurance que Racine a conçu son Achille comme Homère, tandis que l'Achille d'Homère ne ressemble en rien à l'Achille de Racine.

Videmus igitur a Racinio, ut fabulam ad mores aequalium accommodaret, (quam ob causam, ut taceam alias res levioris momenti, etiam illa scena, in qua Clytaemnestra genus Achillis anquirit, optimo iure praetermissa est) multas magnasque factas esse mutationes et in rebus, quae coram spectatoribus aguntur, et in moribus personarum pingendis. Hanc vero tali modo mutatam tragoediam acclamatione plausuque maximo doctam esse testis est ipse auctor, testis est Boileau Epitr. VII.

Jamais Iphigénie en Aulide immolée,
N'a coûté tant de pleurs à la Grèce assemblée,
Que dans l'heureux spectacle à nos yeux étalé,
N'en a fait, sous son nom, verser la Champmêlé.

et profecto dictionis suavitate multisque scenis ad terrorem iniiciendum misericordiamque excitandam aptissimis ita excellit, ut admiratione sit dignissima; in eo tamen, quod interpretes eam multo perfectiorem quam Graecam habent, errare videntur, quum scenas pulcherrimas ex Euripide sumtas esse auctor ipse fateatur, neque vero omnia ab ipso addita mutatave probanda esse videantur.

SCHULNACHRICHTEN.

Vom Herbste 1849 bis zum Herbste 1850.

I. Allgemeine Lehrverfassung.

Ober-Prima.

Ordinarius: Hr. Oberlehrer Dr. Hamacher.

Latein. Cic. Tuscul. Disput. L. I., II. bis c. 8. und IV. Tac. Annal. L. I. und II. Die Inhaltsangabe des Gelesenen in lateinischer Sprache. Wöchentlich 4 Stunden. Der Ordinarius. — Hor. Od. I—IV. und mehrere Satiren und Episteln. Die Inhaltsangabe des Gelesenen in lateinischer Sprache. Wöchentlich 2 St. Der Director. Freie Vorträge; Extemporalien; Censur der lateinischen Aufsätze. Wöchentlich 2 Stunden. Der Ordinarius. Die Themata der lateinischen Aufsätze waren:

1) Prima Mardonii in Graeciam expeditio secundum Herodotum enarrata. 2) Caesar in Galliam proficiscens quid potissimum animo volvit? 3) Bello civili secundo confecto quid Caesariani de Pompejanis existimarint exponatur. 4) Praeclara Demosthenis ad patriam conservandam cousilia quibus potissimum rebus ad irritum sunt redacta? 5) Romanorum historia quas in partes recte dividatur, caussis additis exponatur. 6) Quomodo Thebae ad summum potestatis ac gloriae fastigium pervenerunt? 7) De Alcibiadis ingenio et moribus. 8) Periclis laudes. 9) Quid caussae fuit, quod Romani ex omnibus literarum studiis laudi potissimum oratoriae operam navarunt? 10) Quo pacto Horatius poëta liberae reipublicae statum idemque Augustum praedicare postest? 11) Fabii cunctatoris laudes. 12) Herodoti sententiam: „Στάσις γὰρ ἔμφυλος πολέμου ὁμοφρονέοντος τοσσούτῳ κάκιόν ἐστιν ὅσῳ πόλεμον εἰρήνης" veram esse Graecorum et Romanorum historia luculentissime docet.

Griechisch. Plato's Apologie und der grösste Theil des Phädo. Ausgewählte Stücke aus Thucyd. I., II. und IV. Die Inhaltsangabe des Gelesenen in lateinischer Sprache. Wöchentlich 4 St. Der Director. Hom. Il. VI—X.; Memorirübungen. Wöchentlich 2 St. Der Ordinarius.

Deutsch. Geschichte der deutschen Nationallitteratur mit besonderer Bezugnahme auf die betreffenden, im Lesebuche enthaltenen Stücke. Uebungen im freien Vortrage, die sich an die Privatlektüre anlehnten; Censur der Aufsätze. Wöchentlich 3 St. Der Ordinarius.

Die Themata der deutschen Aufsätze waren:

1) Welche Ansichten hegten die Römer über das Studium der schönen Künste und Wissenschaften (insofern sich dieses aus der Rede Cicero's für den Dichter Archias ergibt)? 2) Der Uebergang aus dem Alterthum in's Mittelalter, verglichen mit dem aus dem Mittelalter in die neuere Zeit. 2) Unglück, das gemeine Seelen niederschlägt, gibt bessern gewöhnlich einen höhern Schwung. 4) Ueber den Ausspruch Schlegel's: „Das Mittelalter gleicht einer sternenhellen Nacht." 5) Welche Gefühle und Gedanken bestürmten Wallenstein's Brust, als er seine Absetzungs-Urkunde zu Memmingen unterschrieb? 6) Was denken wir von der Handlungsweise des Socrates, als er die Aufforderung seiner Freunde, den Kerker zu verlassen, von sich wies? 7) Der dreissigjährige Krieg ist der peloponnesische Krieg Deutschlands. 8) Ueber Selbsterkenntniss, ein Dialog nach doppeltem Motto. 9) Warum sind die Menschen gegen diejenigen Fehler Anderer am strengsten, welche sie selbst an sich tragen? 10) In wiefern ist das Leben eine Schule?

Französisch. Grammatik nach Knebel. Uebersetzungen in's Französische nach Diktaten. Lektüre: Aus Voyage en Orient von Lamartine. Brittanicus von Racine. Sprechübungen. Wöchentlich 2 St. Hr. Gymnasiallehrer Houben.

Hebräisch. Grammatik nach Gesenius. Gelesen und erklärt wurde Exod. cap. 2—7 Wöchentlich 1 St. Hr. Dr. Uppenkamp.

Religionslehre. Vacat. S. unten Chronik.

Geschichte. Neuere Geschichte. Wiederholung der Geschichte des Mittelalters, verbunden mit Uebungen im geschichtlichen Vortrage. Wöchentlich 3 St. Der Ordinarius.

Mathematik. Wiederholung der Stereometrie und Trigonometrie. Das Binomen von Newton. Die logarithmischen und trigonometrischen Reihen. Wöchentlich 3 St. Hr. Professor Steininger.

Physik. Anfangsgründe der Statik, Mechanik und Hydrostatik. Optik. Wöchentlich 2 St Derselbe.

Unter-Prima.

Ordinarius: Hr. Oberlehrer Schneemann.*)

Latein. Sallust. Catilina, und Jugurtha bis c. 30. Cic. Orat. in Catilinam I. IV. und pro Murena. Wöchentlich 3 St. Livius XXI—XXIV., mit Auswahl, kursorisch. Wöchentlich 1 St. — Virgil. Aen. II. V., Horat. Epod. und Od. I. Wöchentlich 2 St. — Extemporalien und Censur der lateinischen Arbeiten. Wöchentlich 2 St. Bis zum December Hr. Oberlehrer Schneemann, von da an Hr. Dr. Uppenkamp.

Die Themata der lateinischen Arbeiten waren:

1) Qualis fuerit plebs Romana ea aetate, de qua memoriae prodidit Sallustius in Bello Catilinario. 2) Quibus in rebus maxime cernitur praestantia libri Sallustiani de bello Catilinario? 3) Oratio senatoris cuiusdam Carthaginiensis adversus eam, quae est Hannonis apud Livium (XXI, 10). 4) De ingenio et moribus Octaviani Augusti. 5) De Q. Fabii Maximi et L. Aemilii Pauli similibus in patriam meritis (coll. Liv. XXII.). 6) Laudes Ciceronis. 7) Caius amico, in Academia litteris studenti, ac studiorum novam aliquam viam inituro, rogatus consilium impertit. 8) Pacis et belli artium utras utris praeferat Cicero in oratione pro Murena, quibus de causis et quo iure praeferat, ostendatur. (Die letzten 3 Themata wurden in der Klasse bearbeitet).

*) S. unten Chronik.

Griechisch. Herod. VI. von c. 100 an, VII., VIII. Die Inhaltsangabe des Gelesenen in lateinischer Sprache. Daran schlossen sich Uebungen aus dem Deutschen in's Griechische. Wöchentlich 4 St. Hr. Oberlehrer Dr. Hamacher. — Hom. II. I—VII. Wöchentlich 2 St. Der Director.

Deutsch. Literaturgeschichte bis zum 14. Jahrhundert; Mittheilung und Erklärung von Proben. Uebungen im freien Vortrage und Deklamation. Privatim gelesen und in der Schule besprochen wurden: Die Braut von Messina und Wallenstein. Censur der Aufsätze. Wöchentlich 3 St. Hr. Gymnasiallehrer Lohmar.

Die Themata dieser Aufsätze waren:

1) Atticus als Mensch und Bürger, nach Nepos. 2) Abschied von Europa, aus dem Tagebuche eines Auswanderers. 3) Wahrer Reichthum. 4) Selbstkenntniss und Kenntniss Anderer, nach einem Epigramme von Schiller. 5) Zwei Tage aus dem Leben eines Landpfarrers. 6) Lob der Mosel. 7) Die beiden Piccolomini, nach Schiller. 8) Der Ehrgeizige (Charakterschilderung). 9) Rüdiger von Bechlarn, nach dem Nibelungenliede.

Französisch. Grammatik nach Knebel. Uebersetzungen in's Französische nach Diktaten. Lektüre: Voyage en Orient, 1832—33, extrait de l'ouvrage de M. Alphonse de Lamartine. Sprechübungen. Wöchentlich 2 St. Hr. Gymnasiallehrer Houben.

